

SAGVNTVM ET SECVNDVM BELLVM PVNICVM¹

XAVIER CARQUÉS ET ESTEBAN BÉRCHEZ CASTAÑO

(Sodales Collegii Latinitatis)

xaviercarques@yahoo.es // estebanberchez@yahoo.es

Resumen

Summarium: Hac in symbola locos Latinos, in quibus Secundum Bellum Punicum et odium Romanorum in Carthaginenses tractantur, aptavimus ut linguam Latinam discipuli nostri in lyceis exercerent. Praeterea diversa ad oppidum Saguntum spectantia attigimus, de familia scilicet illa Baebia, de consiliis Saguntum lustrandi...

Palabras clave

Vocabula praecipua: Saguntum, Secundum Bellum Punicum, Titus Livius, Cato, Familia Baebia

Hac in symbola habemus in animo consilia Sagunti cum discipulis lyceorum Latine lustrandi afferre. Plerique magistri linguae Latinae, qui in regione Valentina munere funguntur, se conferunt Saguntum cum discipulis semel bisve in anno ut vestigia Romana (castellum, theatrum, Viam Porticus, Domum Piscium...) et Domum Baebiam, ubi multae eaeque variae officinae disponuntur, lustrent et fabulas in theatro spectent². Quamobrem censemus magni esse momenti in nostris scholis nonnulla, quae

¹ Fere omnia quae hac in symbola continentur in *XV Jornades de Cultura Clàssica del Cefire* prolata sunt Sagunti mense Octobri ann. MMXVII, Xaverio Villaplana rectore. Volumus sodalibus nostris Collegii Latinitatis, qui hanc symbolam emendaverunt, gratias agere.

² Culturaclasica.net; <http://domusbaebia.blogspot.com.es>;
<http://prosponteatro.blogspot.com.es/p/sagunto.html> [08/03/2018].

ad oppidum Saguntum pertinent, esse tractanda, ut puta: quas partes egerit Saguntum in Bello Punico Secundo; unde Saguntum nobis notum sit; qui scriptores Sagunti mentionem fecerint, quae fuerit familia illa Baebia... Multae exstant symbolae et libri, in quibus de oppido Sagunto scriptum est, sed tantum tres indicabimus porro libros:

- ARANEGUI GASCÓ, Carmen, *Sagunto. Oppidum, emporio y municipio romano*, Bellaterra Arqueología, Barcinone 2004.
- CORELL, Josep, *Inscripcions romanes del País Valencià. Saguntum i el seu territori*, Publicacions de l'Universitat de València, Valentiae 2002.
- FERRER MAESTRO, Juan José, OLIVER FOIX, Arturo y BENEDITO NUEZ, Josep, *Saguntum y La Plana. Una ciudad romana y su territorio*, Diputació de Castelló, Castellón 2016.

Sumus quidem sodales *Collegii Latinitatis*, Valentinae consociationis quae usui linguae Latinae favet multaque eo pacto comparat ut Latinitas quoquoersus divulgetur³. Ceteroquin recte si volumus lingua Latina uti, oportet locos classicos penetrare, propterea quod eo tendimus, ut litteras Latinas penitus intellegamus. Qua de causa locos aliquot aptavimus scriptorum, qui Bella Punica tractaverunt.

1. Excidium Sagunti

Inter rerum gestarum scriptores qui memoriam Sagunti et Belli Punici Secundi, omnium bellorum Romanorum notissimi, posteris tradiderunt, Polybius (*hist.* IV) scilicet, Silius Italicus (*Punica*), Nepos (*Hann.*), curatissime bellum descripsit Titus Livius, cuius narrationem mox ostendemus. Sed primum pauca de Livii ipsius vita et operibus dicamus.

Titus Livius natus est Patavii Venetiorum, anno LXIV vel LIX a.Chr.n., linguae Latinae Graecaeque studuit, et ambitione vacuus ad magistratum honores non accessit, philosophiae et arti rhetoricae operam dedit primum Patavii, postea Romae. Ipse opus illustre de rebus gestis Romanorum *Ab Vrbe condita* nuncupatum conscripsit, in qua ab urbis conditione usque ad Drusi Germanici mortem narratur. Tum vir notissimus fuit, si Plinio credimus dicenti quendam Gaditanum Romam venisse commodum ad T. Livium conveniendum, et re peracta Gades rediit (Plin. *epist.* II 3).

³ Omnia quae Collegium Latinitatis conflagrat cerni possunt in pagina retiali: www.collegiumlatinitatis.com [17/03/2018].

Livius noster amicitiam cum imperatore Augusto contraxit, quamquam Augustus lepide eum Pompeianum nuncupavisset. T. Livius mortuus est Patavii anno XVII p.Chr.n. Hodie ex CXLII libris tantum XXXV exstant. Livius in libro XXI Bellum Punicum Secundum narrat, quem quidem paucis comprehendimus et aptavimus. Praeterea in margine explanationes et synonyma nonnullorum vocabulorum iuncturarumque addimus quo melius intellexeretur. Ceterum inter cancellos, cum in *Probatione*, quae dicitur, *Maturitatis* regionis Valentinae discipulis convertendi sint in sermonem vulgarem loci ex Caesare deprompti, locutiones Caesarianas quasdam notavimus.

Excidium Sagunti (e Titi Livii Libro XXI *Ab Vrbe Condita*)

<p>Post primum bellum Punicum, populus Romānus cum Hasdrubāle, duce Carthaginensium, foedus renovaverat ut fluvius Hibērus finis inter Romanos et Carthaginenses esset et Saguntinōrum libertas servaretur. Saguntum oppidum opulentissimum ultra Hibērum fuit, quod mille passuum circiter a mari abērat.</p> <p>In Hasdrubālis locum Hannībal successor fuit, et Saguntīnis gerere bellum statuit. Itaque Saguntīni legatos Romam miserunt ut auxilium ad bellum iam imminens implorarent. Dum Romāni omnia parabant, iam Saguntum summā vi ab Hannibale oppugnabatur.</p> <p>Hannībal cum exercitu ingressus est Saguntinōrum fines, ac postquam devastavisset agros, urbem tripertito adgreditur. Sed iuventus Saguntina vi magnā obsistebat.</p> <p>Ac primum missilibus hostes expulsi sunt et Hannībal ipse, dum murum imprudenter</p>	<p>Excidium < ex – cadere.</p> <p>Foedus, -eris = pactio, -ionis.</p> <p>Vt + coniunctivus = Sententia finalis.</p> <p>Servare = conservare.</p> <p>Ultra Hibērum = Ultra fluvium Hibērum.</p> <p>Mille passuum circiter a mari abērat (Caes. <i>Gall.</i> 54; <i>civ.</i> 19).</p> <p>Gerere bellum (Caes. <i>Gall.</i> 8; <i>civ.</i> 2) = bellum administrare / gubernare / exsequi.</p> <p>legatos mittere: (Caes. <i>Gall.</i> 33; <i>civ.</i> 8).</p> <p>Auxilium implorare (Caes. <i>Gall.</i> 2; <i>civ.</i> 1) = auxilium orare / petere.</p> <p>Summā vi (Caes. <i>Gall.</i> 3): fortius, acrius.</p> <p>Oppugno, -as, -are, -avi, -atum: impetum facere, arma contra ferre.</p> <p>Ac = atque, et.</p> <p>Tripertito = tripartito, in tres partes.</p> <p>Obsistere = resistere, repugnare.</p>
---	---

<p>ascendēbat, vulneratus est. Quam ob rem statim fugam constituit. Obsidio deinde per paucos dies magis quam oppugnatio fuit dum vulnus ducis curabatur.</p> <p>Dum Romāni tempus terēbant legationibus, Hannībal, quia fessum exercitum proeliis operibusque habēbat, paucis diēbus quietem militibus dedit, et intērim anīmos eōrum in hostes stimulabat, et spe praemiōrum accendēbat.</p> <p>Deinde temptāta est per duos viros pax, Alcōnem Saguntīnum et Alorcum Hispānum. Insciis Saguntīnis, Alco precibus Hannibalem movēre conabātur, atque quoniam lacrimae eum non commovebant, apud hostem mansit. Alorcus, miles Hannibālis, quamquam publice Saguntīnis amicus atque hospes, ante senātum Saguntinōrum datus est, et condiōnes acerrīmas Hannibālis expōsuit.</p> <p>His rebus cognītis, nobiles priusquam responsum darētur argentum aurumque omne in foro conflagravērunt atque in ignem ipsi se praecipitavērunt. In tali occasiōne Hannībal signum dedit ut omnes pubēres interficerentur.</p> <p>Octāvo mense Saguntum excīdit cum ingenti praedā. Legāti Romāni qui redivērant Carthagīne, Sagunti excīdium senātui nuntiavērunt. Tum Roma bellum in Carthaginienses gerere instituit.</p>	<p>Missile, is = tela –orum.</p> <p>Tempus terēre (+ abl.): tempus consumere/conterere.</p> <p>Insciis –a –um: qui nescit.</p> <p>Preces, -um: preces, obsecrationes, obtestationes, rogationes.</p> <p>Ante senatum Saguntinorum datus est: in senatum Saguntinorum venit.</p> <p>Priusquam = antequam.</p> <p>Signum dedit (Caes. <i>Gall.</i> 9; <i>civ.</i> 7).</p> <p>Pubēres: viri qui arma ferre possunt.</p>
---	--

2. Odium Catonis sempiternum in Carthāginem

Publico odio eoque maximo erga Carthaginienses flagravī Cato, ut ipse et alii scriptores patefecerunt suis in scriptis. Primum vero paucis absolvemus vitam Catonis duosque locos, in quibus huius odii mentio fit, videbimus.

MARCVS PORCIUS CATO (234-149 a.Chr.n.) ‘Censorius’ appellatus, quaestor bello Punico Secundo creatus, optimus orator, imperator, senator fuit. Non solum Hannibalem et Carthaginienses, sed etiam familiam Scipionum oderat. Multa opera conscripsit, intra quae eminent: *De agri cultura*, tractatus de agris colendis; *Origines*, ubi res gestas Romanorum narravit; et orationes. De odio Catonis in Carthāginem Plinius loquitur:

<p>Cato odīo Carthāginis flagrans nepotumque securitatis anxius, cum clamaret omni senatu Carthāginem delendam esse, attūlit quodam die in curiam maturum ficum ex ea provincia ostendensque patribus: “Interrōgo vos” —inquit— “quando hanc pomum acceptam esse ex arbōre putetis.” Cum inter omnes ficum maturum esse constaret: “ante diem tertium —inquit— scitote acceptam esse Carthāgine. Tam prope a moenis habemus hostem!” (e Plinii Maioris <i>Naturali Historiā</i> aptatum, XV 74).</p>	<p>Flagrans –ntis = inflammatus –a –um = ardens –ntis. Nepotes –um = prognati = posteri. Carthāginem delendam esse = oportere Carthāginem deleri. Curia –ae: quo senatores conveniunt. Patribus = senatoribus. Putetis = censetis. Scitote: imperativus futurus verbi <i>sciendi</i>. Carthāgine = in oppido Carthāgine. Prope ≠ procul</p> <div data-bbox="831 1491 1337 1733" style="border: 1px solid black; padding: 5px; margin-top: 10px;"> <p>δοκεῖ δέ μοι καὶ Καρχηδόνα μὴ εἶναι (Plut. <i>Cato</i> 27,2) = Ceterum censeo Carthāginem delendam esse.</p> </div>
---	---

Exstant quoque fragmenta aliquot orationum. Notissimum est fragmentum orationis in curia habitae in qua Cato Carthaginienses contempsit.

<p>Pueri atque mulieres expellebantur fami causā. Homines defodērunt in terram dimidiatos ignemque circumposuērunt: ita interfecērunt. Carthāginienses nobis iam hostes sunt; nam qui omnia parat contra me, ut —quo tempore velit— bellum possit inferre, hic iam mihi hostis est, tāmetsi nondum armis agat.</p> <p>Qui sunt, qui foedēra saepe rupērunt? Carthāginienses. Qui sunt, qui crudelissime bellum gessērunt? Carthāginienses. Qui sunt, qui Italiam deformavērunt? Carthāginienses. Qui sunt, qui sibi postulent ignosci? Carthāginienses. Videte ergo quantum conveniat eos delere (e Catonis opere <i>De bello Carthāginiense</i>).</p>	<p>Fami causā: quia cibum non habebant. Defodērunt: terrā texērunt. Dimidiatos: in duas partes divisos.</p> <p>Foedēra rupērunt ≠ pacta servavērunt. Bellum inferre = bellum gerere. Tāmetsi = quamquam = quamvis. Nondum = adhuc non. Crudelissime = saevissime. Ignosci = veniā dari.</p>
--	--



Homines defodērunt in terram dimidiatos ignemque circumposuērunt!
(Meluca Redón Ramos depinxit)

3. Familia Baebia⁴

Baebii primores e Sagunto oriundi erant et septuaginta fere membra familiae numerabantur, non modo sparsae per totam regionem Valentinam sed etiam per totum Imperium Romanum. Quintus Baebius Tamphilus in Bello Punico Secundo a Senatu Saguntum missus est ut Hannibalem conveniret et pacem peteret (Liv. XXI 6). Sunt qui dicant hunc Baebium habuisse clientes, qui postea 'Baebii' nominati sunt. Haec videtur origo esse familiae Baebiae. De omnibus Baebiiis fusius loqui non possumus, quare quinque ex eis selegimus:

- Gneus Baebius Geminus, dives, pecuniosus fuit et aetate Augusta pecuniam in testamento suo commodavit ut forum Saguntinum denuo aedificaretur. Exstat prope portam moenium arcis Sagunti pars inscriptionis ubi de hoc agitur. Haec inscriptio longissima erat, fere viginti et septem passus, sed — proh dolor!— exstant tantum fragmenta. Confecta est quidem anno III sive IV a.Chr.n., cum Saguntum iam municipium Romanum esset.
- Gneus Baebius, Galleria tribu, nepos illius Baebii Gemini, qui pecuniam solvit ut forum Sagunti aedificaretur. Ille aetate Augusta fuit Pontifex, aedilis et salius, id est, sacerdos dei Martis.
- Lucius Baebius Avitus, amicus imperatoris Vespasianii, senator Romanus et procurator Lusitaniae.
- Baebius Hispanus, amicus scriptoris Plinii, qui ei nonnullas epistulas scripsit.
- Cneus Baebius Chilonianus fortasse esset dominus Domus Piscium, sitae Sagunti. Inscriptio, in quo dicitur ipsum et uxorem eius in horto domus sepeliti esse, exstat.


4. Unde Saguntum notum est nobis?

Praebemus nunc magistris nonnulla subsidia didascalica in quibus variae res reperiuntur ad Saguntum pertinentes. Huc adde interroganda discipulis deputata. Tunc maximi momenti est, ut opinamur, nostros discipulos docere disciplinas quae auxilio

⁴ Optime, ut nostra fert opinio, tractatur familia Baebia in opere illius Gézae ALFÖLDY, inscripto *Los Baebii de Saguntum* (Servicio de Investigación Prehistórica, Valentiae 1977; cf. Amparo MORENO et Charo MARCO, "Domus Baebia Saguntina", *Arse* 42, 2008, 247-54).


nobis esse possint ad Saguntum cognoscendum, *Archaeologia* nempe, *Numismatica* vel *Epigraphia*⁵:

E MONVMENTIS




E LOCIS

Iter Hannibalis
Carthagine Nova in Italiam



E NVMMIS




E LITTERIS LATINIS GRAECISQVE

- Annæi FLORI, *Epitoma de Tito Livio* I 22 (II Bellum Punicum).
- APPIANI (s. II p.Chr.n.), *Historia Romana: Iberica*.
- THÛ LIVII (s. I a.Chr.n. – I p.Chr.n.), *Ab Vrbe condita XXI; XXVIII* (II Bellum Punicum).
- Pompeiû MELAE (s. I p.Chr.n.), *De coreographia* II 93 (descriptio civitatum in regione Valentina).
- Corneliû NEPOTIS (s. I a.Chr.n.), *Vita Hannibalis* 3 (II Bellum Punicum).
- Caii PLINII Secundi (s. I p.Chr.n.), *Naturalis Historia* III 20 (descriptio civitatum in regione Valentina); XVI 216 (origo Saguntû).
- Caii PLINII Caecili Secundi (s. I-II p.Chr.n.), *Epistulae* I 24; VI 25 (epistulae missae amicis oriundis a Sagunto).
- POLYBII (s. II a.Chr.n.), *Historiae* IV (II Bellum Punicum).
- SILII Italici (s. I p.Chr.n.), *Punica* II (II Bellum Punicum).
- STRABONIS (s. I a.Chr.n. – I p.Chr.n.), *Geographica* III 4-6 (origo Saguntû).


VNDE SAGVNTVM NOBIS NOTVM EST?

EX INSCRIPTIONIBVS

CN·BAEBIVS·CN·F·GAL·GEMINVS·TESTAMENTO·
FORM·DE·SVA·PECVNIA·DONAVIT·CN·BAEBIVS·
CN·F·GAL·FRATER·HERES·DEDICAVIT




CN(aenus) · BAEBIVS · CN(ael) · F(ILIUS) · G(AL(eria) tribu) · GEMINIVS · TESTAMENTO ·] FORVM · DE · SVA · PECVNIA · DONAVIT · CN(aenus) · BAEBIVS · CN(ael) · F(ILIUS) · G(AL(eria) tribu) · FRATER · HERES · DEDICAVIT (C.I.L. II 2/14.374; s. I a.Chr.n. - I p.Chr.n.)



D(s) M(anibus) L(ucii) AEL(I) CAER-
LIALIS · MAGISTRO
ARTIS GRAMMA-
TICAE · L(ucius) · AEL(IUS) AELI-
ANVS · LIBERTVS
PATRONO) BEN(e) MERITO
VIXIT ANN(os) · LXXXV
(C.I.L. II 3872; s. II p.Chr.n.)

C(AIO) · VOCONIO · C(AI) · F(ILIO)
GAL(ERIA) · PLACIDO · AED(ILII)
IVIRO · II · FLAMINI · II
QVAESTORI
SALIORVM · MAGISTRO
(C.I.L. II 2/14.365)



⁵ Notate bene haec vocabula nova esse neque apud auctores antiquos reperiri possunt.

DE INSCRIPTIONIBVS:


1. Vbi Romani inscriptiones scribere solebant?
2. Indica genera inscriptionum.
3. Quot nomina viri nobiles habebant?
4. Quis est Gneus Baebius Geminus?
5. Qui sunt dei Manes?
6. Describe alios deos Romanos domesticos.
7. Quid magistri in ludo grammaticae docebant?
8. Qui erant liberti apud Romanos? Et patronus?
9. Scribe numeris Romanis 5, 10, 50, 100, 500 et 1000.
10. Quod officium aediles agebant? Et quaestores?
11. Indica honores cursus honorum.
12. Qui sunt Salii?
13. Quid significat «Verba volant, scripta manent»?

DE LOCIS:

1. Dic nonnulla nomina gentilitia regionis Valentinae hodierna ex oppidis antiquis Romanis.
2. Quod nomen Viae Augustae olim erat?
3. Quid est milliarium?

Postquam Domum Piscium lustraveris, partes domus hic indicabis:

1. Atrium
2. Cubiculum I
3. Cubiculum II
4. Cubiculum III
5. Culina
6. Hortus
7. Impluvium
8. Ostium
9. Taberna I
10. Taberna II
11. Tablinum
12. Vestibulum



DE NUMMIS:

1. Dicas praecipuos nummos Romanos e minimo pretio ad maximum.
2. Qui deus Romanus nummum intulit?
3. Quo nomine Romani ludum nostrum «cara o cruz» appellabant? Cur?
4. Vnde vocabulum Hispanicum *moneda* originem ducit?
5. Quo nomine Graeci deam Victoriam appellabant?
6. Galea est cassis bellica; dicas alia arma Romana.

DE MONUMENTIS:

1. Vbi Romani otio fruebantur?
2. Quae sunt partes theatri Romani?
3. Quae certamina in circo agebantur?
4. Quod discrimen est inter *villam* et *domum*?
5. Cur Domus Sagunti «Domus Piscium» appellatur?
6. Vbi Romani mortuos sepelire solebant?
7. Quae sunt aedificia publica praecipua?
8. Quid Romani in foro agebant?
9. Quo senatores rite conveniebant?

DE LITTERIS LATINIS GRAECISQVE:

1. Quid Titus Livius scripsit?
2. Qui auctores primum de rebus gestis Romanorum scripserunt?
3. Quorum auctorum Romanorum epistulae nobis traditae sunt?
4. Qui scriptor Graecus Bello Punico Altero interfuit?
5. Qui scriptor opus *Vitae de viris illustribus* exaravit?
6. Qui dux Romanus Hannibalem devicit? In quo proelio?
7. Quot bella Punica gesta sunt? Quis victoriam tulit?
8. Quis, apud Vergilium, Carthaginem condidit?